

IV. Obj. contra alteram propositionis partem. Data etiam genuinitate Joannei commatis, nihil tamen

clausulam de testibus terrenis: Et hi tres unum sunt, de quorum authenticitate etiam dubitavit s. Thomas, ut notum est. Ex hac porro observatione de clausula modo dicta, patet vulgatissimam fuisse tunc temporis lectionem de testibus caelestibus, eo maxime quod concilio Lateranensi interfuerint non pauci graeci, qui tamen de hoc non mussitaverunt. Vid. Collectio Conciliorum, edit. Harduini, tom. xi, p. 1. Addatur auctor Dialogi seu disputationis contra Arium, s. Athanasio tributa, qui Maximus M. vulgo creditur; cum enim in Africam venisset, ibi nactus codices familiae africanae, invenit textum nostrum; redux in orientem ausam sumpsit dialogum scribendi; hic igitur, quicumque demum sit, certe antiquus auctor, sub finem, n. 4-5, cum locutus esset de baptismo, qui inter beatissima nomenclatura fidelibus datur; adde, inquit, his omnibus, quod ait Joannes: Et hi tres unum sunt: Οὗκ ἐν τῇ τρισμικροῦ ἁπομνηστία λέγουται τοῖς πιστοῖς; πρὸς δὲ τοῖς πατέρι, ἰστένης γάρ ἐστι, καὶ οἱ τοῖς ἐν ἐκείνῳ. (Cfr. inter opp. s. Athanasii edit. Maur. vol. iii, pag. 229). 2. Falsum est, quod dicit, patres Latinos hunc textum non citasse; nos documentis adductis contrarium ostendimus. 3. Falsum est Vigilium Tapsensem omnium primum videri, qui exeunte saec. v. clare, etc., ut patet ex dictis, quibus addimus Eucherium, qui floruit anno 434, id est, 50 annis ante Vigilium Tapsensem, et qui in libro Formularum spiritualis intelligentiae, cap. 11, n. 5, scribit: « Numerus ternarius refertur ad Trinitatem in Joannis epistola: Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis ». Numquid clarius aliquid proferri poterat? 4. Falsum est allegationem Vigilii cum textu nostro, nec in verbis, nec in sensu convenire; nam lib. 1, De Trinitate, inquit: « Sicut et in hoc exemplo veritatis, in quo nomina personarum evidenter sunt ostensa, et unitum nomen divinitatis clause est declaratum, dicente Joanne Evangelista, in epistola sua: Tres sunt qui testimonium dicunt in caelo, Pater et Verbum et Spiritus; et in Jesu Christo unum sunt; non tamen unus est, quia non est in his una persona ». Judicet lector, an in sensu conveniat et in verbis nec ne cum textu nostro. Rursus sub finem ejusdem libri idem testimonium profert, addendo Sanctus nomini Spiritus, Et lib. vii, sine vocibus in Christo Jesu absolute scriptum dicit a Joanne: Et hi tres unum sunt. (Biblioth. PP. edit. Lugdun. tom. viii, pag. 771 et seqq.). Quam bene critici protestantes! 5. Falsum est, quod affirmat de codicibus latinis ante saeculum x. scriptis. Contrarium nos ostendimus ex ipso Richardo Simonio alisque adductis, nec abnuit Griesbachius, in N. T. edit. Lond. 1818, vol. ii, pag. 640. His addimus codicem nuper repertum in monasterio Benedictorum Cavensi, Neapolim inter et Salernum, quem ante annos 1000 abbas Rozan scriptum censet, Cl. vero Card. Angelus Maj. saltem ad saec. vii. pertinere judicavit; legitur vero in hoc codice: « Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, etc. et hi tres unum sunt in Xpo. Ihu. et tres sunt, qui testimonium dicunt in caelo, Pater, Verbum et Sps. et hi tres unum sunt ». Cfr. Wiseman, loc. cit. pag. 40 et seqq. Hunc autem codicem perinde ac alium Sessorianum Scholz non vidit. Cfr. Prol. § 44, 47. Sed nec minus aperte mentitur Rosenmüller, dum profert argumenta, quae favent nostro textui; suppressis enim ex industria validioribus argumentis, profert tantum debilia, quae rursus extenuare nititur. Demum confugit ad locum nunc communem inter rationalistas biblicos, ad historiam nempe Hezelii convicti a Griesbachio, qua causa finita est. Sed nos libenter ipsis concedimus suos Hezelios et Griesbachios et Semleros, et Eichhornios etc. Vae nobis,

inde eruitur ad distinctionem personarum in unitate essentiae adstruendam; etenim 1. Pater, Verbum et Spiritus Sanctus unum esse dicuntur non essentia, sed unitate seu consensu testimonii; prout 2. exposuerunt doctissimi interpretes; 3. sane id postulat contextus et connexio duorum versiculorum 7 et 8; jam vero etiam de spiritu, aqua et sanguine pariter dicitur: Et hi tres unum sunt, nec tamen aliquis adeo desipit ut dicat, haec unum esse essentia, sed unum dicuntur unitate testimonii; eodem igitur sensu de testibus caelestibus dictum est, eos unum esse, nempe unitate testimonii. Ita fere Clericus.

Resp. N. A. Alioquin, ut superius notavimus, non adeo solliciti essent unitarii in hoc nobis eripiendo testimonio. Nam non nisi odio veritatis tanto molimine frustra laborant; recolantur dicta in probationibus.

Ad 1. probat. N. Nam 1. absurdum est Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum unum dici, etiam in testimonio ferendo, si infinito intervallo inter se distarent, ut distare perhibentur in hypothesi unitariorum. Solus enim Pater Deus esset, Verbum autem et Spiritus Sanctus vel creaturae forent, vel efficientiae, prout absurdum esset dicere de Deo, et duobus Angelis aliquid testantibus: Et hi tres unum sunt.

2. Quia eadem ratione disserere hoc loco debemus de testimonio Patris, Verbi et Spiritus Sancti ac de testimonio Patris, Verbi et Spiritus Sancti; de quo saepe Joannes in evangelio disseruit; jam vero Joan. XV, 26, et XVI, 14, Christus commendat testimonium Spiritus Sancti, ex eo quod a Patre procedit, et ex eo, quod de suo accipiet, nempe ex unitate naturae et essentiae cum Patre et Filio; tum etiam suum proprium commendat testimonium, ex eo quod ipse unum sit cum Patre suo, dicens Joan. X, 30: Ego et Pater unum sumus. Non alio igitur sensu hic scribere potuit idem Apostolus: Et hi tres unum sunt.

si Christus Dominus his criticis scripturam custodiendam dimisisset! Vix frustula aliquot intacta superessent. Attamen Rosenmüller non attulit nisi argumenta, quandoque etiam non nisi ipsa verba Griesbachii; ea proinde quae dicta sunt contra Rosenmüller, aequae valent adversus Griesbachium, in quo praeterea livor deprehenditur, ut patet ex ratione, qua excaecescit adversus Manuel. Calecam, quem vocat Graeculum latinizantem, pseudograecum; et hoc ob duplex ab eodem patratum crimen, 1. quod excitaverit versum 7, 2. quod ecclesiam graecam orthodoxam (nempe schismaticam), priscam Patrum suorum fidem tuentem (id est, ut inferius ostendemus, a prisca Patrum suorum fide descendentem), acriter oppugnaverit, eique Pontificis Romani primatum obtrudere, ac decantatum illud Filioque, Niceno symbolo a latinis adjectum, defendere conatus sit. Gravia haec profecto crimina sunt ac irremissibilia in oculis tolerantissimi protestantis, qui alioquin paratus esset eundem ut magnum virum proclamare, si schisma et haeresis fovisset, et non excitasset hunc versum ipsi adeo in quo invisum. Ex his specimen habetur moderationis, quam adeo decantant protestantes, et libertatis, qua iidem fruuntur in rejiciendis fidei articulis pro lubito; siquidem primi protestantes, cum Catholica Ecclesia dogma de Spiritu Sancti processione etiam a Filio profitentur.

3. Quia hic innuit se magnum proponere mysterium, cum tamen accurate tres distinguat personas et conjungat, imo unum tres esse dicat; sed si una non esset in tribus personis essentia, opus non fuisset tanta contentione et diligentia in distinguendis rebus, disjunctissimis; sic nihil mirabile esset, quod tres consentiant in ferendo testimonio. Itaque quaquam versus spectetur Joannis apophthegma, non alium sensum admittit praeter illum, quem in eo tota agnovit antiquitas. Omnes enim patres, qui illud citarunt, constanter ad adstruendam unitatem essentiae in tribus personis eo usi sunt (1).

Ad 2. D. Id est, Calvinus aliique ejusdem furfuris, C. alii N.

Ad 3. D. Eadem ratione de testibus caelestibus et terrenis pronunciat: unum sunt, quoad pondus et auctoritatem testimonii, relate ad id, quod testantur, C. quoad testes inter se N. Nempe ejusdem ponderis sunt testes terreni ad veram Christi humanitatem testandam, ac testes caelestes ad testandam ejusdem divinitatem. Adde, ex dictis, in graeco textu de testibus terrenis dici: Et hi tres in unum sunt, quod non dicitur de testibus caelestibus, atque ex hac ipsa lectionis diversitate discrimen patet quoad naturam testimonii inter se (2).

Et haec de gravissimo hoc argumento in praesentia dicta sufficiant. Si autem Deus dederit, peculiarem opportuno tempore edemus forsitan dissertationem, in qua latius proferemus, quae hic non nisi contracta oratione, ut fert institutionum indoles, congressimus.

PROPOSITIO III. — Unitas divinae essentiae in tribus personis distinctis ex perpetuo ac constanti ecclesiae sensu traditionali confirmatur.

Ipsa recta ratio et ars criticae docent aplissimam regulam, ad verum dignoscendum tum legis tum cujusquam antiqui scriptoris sensum, esse usum ipsum et intelligentiam eorum, qui ipsi coaevi fuerunt, vel eos proxime secuti sunt, ac multo magis si ab auctoribus ipsis hunc eundem germanum sensum fuerunt edocti, quem deinceps posteritati transmiserunt. Jam

(1) Cum Rosenmüller refricet argumenta Clerici de consensu voluntatis, etc., addit de suo, hanc interpretationem, si admitti posset, cum contextu et consilio Apostoli non posse conciliari, quod jam nonnulli veterum perspexerunt; in margine vero editionis complutensis narrari Abbatem Joachim negasse quod verba commatis 7: hi tres unum sunt, ad unitatem personarum spectent, ac traxisse haec verba ad unitatem consensus, atque provocasse ad comma 8, etc. Quod attinet ad marginem editionis complutensis, non abnuit adnotationem illam ibi reperiri; sed falsum omnino est, quempiam veterum perspexisse agere Joannem de consensu voluntatis vel non posse conciliari cum contextu ac consilio Apostoli; quotquot enim textum illum adducunt ex veteribus, nemine excepto, eum proferunt ad evincendam unitatem essentiae in tribus personis. Provoceamus omnes criticos biblicos ac rationalistas, ut vel unum asserant, qui verba illa acceperit de consensu voluntatis, vel affirmaverit cum consilio et contextu Apostoli hunc textum conciliari non posse.

(2) Cfr. Maran op. cit. et loc. cit.

vero sensum doctrinae Christi Domini circa mysterium sanctissimae Trinitatis et apostolorum, qui tum viva voce tum scriptis eam praedicarunt ac promulgarunt, cum esse, quem tenet ecclesia catholica, certissimis documentis adstruit, deductis ab aetate apostolica usque ad Justinum M., et a Justino usque ad concilium Nicenum et Constantinopolitanum 1. Ab hac enim epocha et deinceps hanc fidem in ecclesia universa obtinuisse unitarii et rationalistae ultro fatentur.

Ut vero ad certas classes haec documenta reveceamus, ne confusionem ingerant, sic ea distribuimus: 1. Sit praxis ecclesiae ejusque agendi ratio cum novatoribus circa hoc mysterium; 2. sint Fidei professiones; 3. Confessiones martyrum; 4. Haeretici; 5. Judaei et pagani; 6. Patres singillatim sumpti; 7. Socinianorum ac rationalistarum impugnandi ratio.

1. Itaque quod attinet ad ecclesiae praxim ejusque agendi rationem cum novatoribus, insigne documentum est perpetuitatis fidei nostrae baptismi collatio in nomine ss. Trinitatis. Ecclesia autem numquam intendit baptismum conferre in nomine Patris omnium, filii Messiae, et vis divinae; hunc enim sensum, quem recentiores unitarii autumant formulae baptismatis inesse, nullo prolato novae suae interpretationis documento, nunquam agnovit ecclesia; imo ex hac formula refellere consueverat sabellianos, qui divinas personas confundebant (1). Aliud documentum hujus praxis est recepta a primis ipsae ecclesiae saeculis doxologia, his fere verbis concepta: Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto (2), qua aperte et

(1) Cfr. S. Joan. Chrys. loc. cit., et ante ipsum Justinus M. Apol. 1, n. 61, referens modum regenerationis seu baptismi, scribit: Ἐν ὀνόματι γὰρ τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ καὶ ἀσπύτου Θεοῦ, καὶ τοῦ συνήρους ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιῶνται. Id est, « Nam in nomine Patris universorum ac Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt »; Et Tertull. Contra Marcionem, lib. 1, cap. 28: « Baptismus, inquit, regeneratio est hominis; quomodo regenerat, qui non generavit? iteratio enim non competit ei, a quo quid nec semel factum est. Si consequutio est Spiritus Sancti, quomodo Spiritum attribuet, qui animam prius non contulit? ». Ex qua argumentatione constat Tertullianum pro certo sumere, adversus Marcionem, Filium et Spiritum Sanctum, in quorum nomine confertur baptismus, Deum esse, eo quod nemo possit regenerari ab eo, a quo conditus non est. Sed quod frangit audaciam rationalistarum est usus antiquissimus, in primitiva ecclesia receptus, conferendi baptismus per triam immersionem cum distincta trium personarum invocatione; de quo usu loquuntur canones apostolici antiquissimi, ac praecise canon quinquagesimus. Triam autem hanc immersionem, quam patres passim ab apostolica traditione repetunt, usurpatam esse ad distinctionem trium personarum clarius significandam, tradit idem Tertullianus, libro Adv. Praxeam, cap. 27, ubi sic eum perstringit: « Novissime mandans (Christus), ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in singulas personas tingimur ». Cfr. Guillelm. Beveregius in Annot. ad can. quinquagesimum apost. necnon in Cod. canonum Eccles. primit. lib. ii, cap. 9.

(2) Cfr. S. Basilius, lib. De Spiritu Sancto, cap.

aequalitas simul et distinctio personarum exprimitur. Vix autem novatores aliqui impugnare aggressi sunt sive divinitatem alicujus personae sive earum distinctionem, cum ecclesia illico eos damnavit, atque e sinu suo velut haeretica impietate infectos expulit; ita se gessit cum ebionitis et cerinthianis, qui ipso primo ecclesiae saeculo exorti sunt, et Filii, seu Christi divinitatem negarunt; ita postea cum Artemone ac Paulo Samosateno, eadem impietate obstrictis (1); eadem ratione restitit Theodoto coriario, Noëto, Sabellio, patripassianis, reliquis denique omnibus (2). Quod quidem argumentum est indubium verae fidei, quam ecclesia semper professus est.

2. Fidei professiones, quae ab apostolicis temporibus obtinuerunt, ineluctabile aliud suppeditant hujus dogmatis documentum. Harum in censum primo venit ipsum apostolicum symbolum, quod tironibus tradebatur; in hoc autem habetur pariter expressa fides in Deum Patrem, et in Jesum Christum unicum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum, ut personas tres distinctas in eadem divina natura (3) eo sensu, quem etiam tenet ecclesia; secundo venit alia fidei professio, quae edita est a patribus alexandrinis, in epistola synodica ad Paulum Samosatenum, in qua, exposito fidei dogmate cum hodierna fide con-

29, qui testatur se doxologiam, seu glorificationem hae formula: *Deo Patri et Filio D. N. J. C. cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum, amen.* accepisse frequentatam in omnibus orationibus ac libris suis a s. Gregorio Neocæsariensi, Thaumaturgo nuncupato, et a Firmiliano. Eandem praeterea doxologiam frequentatam fuisse primis duobus ecclesiae saeculis, patet ex *Constitutionibus apostolicis*, lib. viii, cap. 12; et rursus ibid. cap. 15, et alibi passim; cfr. apud Cotelierum *Scripta ss. Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt*, etc. tom. 1, pag. 199 et seq. edit. Antverpiae 1698; Joan. Bingham, *Origines sive antiq. eccles.* vol. v, lib. xiii, cap. 2, § 1 et seqq., innumera exempla profert ex remotissima antiquitate istius universalis usus apud christianos; cfr. s. Joan. Damasc. in epist. ad Jordan. *De hymno Trisagio*, n. 6, ubi plura lecta digna habentur de recepta in ecclesia doxologia.

(1) Vid. epistola Alexandri episc. Alexandrini ad Alexandrum episc. Constantinopolitanum, apud Theodoretum, *Hist. eccles.* lib. i, cap. 5; Euseb. *Hist. eccles.* lib. iii, cap. 27, 28; Hieronym. *Proleg. in Matth.* edit. Vallarsii, tom. vii, pag. 5. Cfr. Petavium, *De Trinit.* praef. cap. 2, § 1.

(2) Cfr. Petavium ibid.

(3) Unitarii omnia symbola antiqua rejiciunt, ac praevidium suum omne constituunt in simbolo romano, quod sua simplicitate se commendat et unice proponat fidem in Deum Patrem, et Filium ejus unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu Sancto: cum cetera, quae huic symbolo addita sunt, non apostolicis, sed patribus platonice sint tribuenda; ita quidem Simon Episcopus, lib. iv, *Instit.* cap. 23 et seqq. At perperam; symbolum enim apostolicum, etiam prout jacet, evertit omnem impietatem unitariorum. Quid est enim credere in Deum Patrem, in unicum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum, nisi credere in tres personas distinctas? Cum Deus dicatur Pater et Jesus Christus ejus Filius, nonne praedicatur unitas naturae in Patre et Filio, si accipiuntur, ut accipi debent, in sensu obvio et absque glossis et explicationibus unitariorum? Adde fideles prius bene instructos fuisse circa verum sensum symboli, antequam ad baptismum admitterentur.

sentaneo, de Filii divinitate ac de Trinitate testantur ita et praedicasse ss. Patres, et sibi confitendum profitendumque tradidisse (1); venit deinde synodus prior antiochena, adversus eumdem Paulum coacta, in qua emittitur verbis his de ss. Trinitate fidei professio: *Decrevimus fidem scripto edere, et exponere, quam a principio accepimus, et habemus traditam et servatam in Catholica Ecclesia usque in hodiernum diem a beatis Apostolis... esse unum Deum ingenuum... et Filium genitum, unigenitum, sapientiam et verbum ac virtutem Dei ante saecula, non praecognitione, sed substantia, et hypostasi Deum, Dei Filium, etc.* Concluditur autem: *Et omnes Ecclesiae Catholicae nobiscum consentiunt* (2). Huc demum refertur fidei professio s. Gregorii Thaumaturgi, quam refert in ejus vita s. Gregorius Nyssenus, quae ita se habet: *Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri Patris... invisibilis ejus, qui est invisibilis, et incorruptibilis ejus, qui corruptioni non est obnoxius... Unus Spiritus Sanctus... imago Filii, perfecti perfecta; Trinitas perfecta, quae gloria, aeternitate ac regno nec divisa est nec alienata* (3). Et haec sufficiant; ex quibus discimus 1. quanam fuerit germana fides ecclesiae tribus prioribus ecclesiae saeculis circa mysterium ss. Trinitatis; 2. hanc fidem ab apostolis ad ecclesias traditione pervenisse.

3. Martyrum confessiones non minus illustre documentum suppeditant fidei de ss. Trinitate receptae in universa ecclesia. Omissis igitur quae expresse et directe spectant ad divinitatem Filii, de qua inferius in actis martyrum Lugdunensium, qui passi sunt anno 17 Marci Aurelii, legitur s. Epipodius haec verba

(1) Vid. *Epist. s. Dionys. episcopi Alexandrini Adversus Paulum samosatenum*. Sic vero se habent ejus verba post expositam doctrinam Trinitatis ac divinitatis Verbi et Spiritus Sancti: *Et sic confessi sunt eum (Verbum) sancti Patres, et ut confiteremur ac crederemus nobis tradiderunt* (in *Biblioth. veterum Patrum*, graec. lat. tom. i, pag. 275). Et in fragm. adv. sabellianos, n. 3. concludit: *Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchia praedicatio integra servabitur*. Apud Athanas. *De decretis*, n. 26, part. i opp. tom. i, pag. 251, edit. Paris. 1698; atque in *Biblioth. Patrum Gallandi*, tom. iii, p. 540.

(2) *Ἐδοξεν ἡμῖν ἐγγράφειν τὴν πίστιν ἣν ἐξ ἀρχῆς παρελάβομεν, καὶ ἔχμεν παραδοθεῖσαν, καὶ τηρουμένην ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἀγίῃ ἐκκλησίᾳ, μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, ἐκ διαδοχῆς ὑπὸ τῶν μακαρίων ἀποστόλων... ὅτι ὁ Θεὸς ἀγέννητος εἶς... τὸν δὲ υἱὸν γεννητὸν, μονογενῆ υἱόν, ἐκ τοῦ ἀπαύτου Θεοῦ... σοφίαν καὶ λόγον καὶ δυνάμει Θεοῦ, πρὸ αἰῶνων ὄντα, οὐ προεώρασε, ἀλλ' οὐσία καὶ ὑποστάσει Θεὸν, Θεοῦ υἱόν... Καὶ πᾶσαι αἱ καθολικαὶ ἐκκλησίαι συμφωνοῦσιν ἡμῖν.* *Collect. Concil. Labbei*, tom. 1, col. 844, edit. Paris. 1671.

(3) *Εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ... Τίς ἀληθινὸς ἀληθινὸς πατὴρ, ἀόρατος ἀόρατος, καὶ ἀφάρτος ἀφάρτος... Καὶ ἐν πνεύμα ἁγίον... εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τέλει... Τρεῖς τέλει, δόξα καὶ ἀδιότης, καὶ βασιλεία, μὴ περιζόμενη, μηδὲ ἀπαλλοτριούμενη.* Vid. s. Gregor. Nyssen. in *Vita s. Gregorii Thaumaturgi*, pag. 546, tom. iii, opp. edit. Morelli, Paris. 1658, qui refert hoc symbolum, manu ipsius exaratum, in ecclesia Neocæsariensi asservari, et ad plebis instructionem quotidiano usu celebrari. Cfr. annot. Ernesti Grabe ad *Defens. fidei Nicænae* Georgii Bulli, in sect. 2, cap. 12, § 4. Huic addi potest symbolum, quod extat in *Constitutionibus apostolicis*, lib. vii, cap. 41, apud Cotelierum, loc. cit.

protulisse eorum praeside, qui os martyris elidi pugnorum ictibus jusserat: *Christum cum Patre ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor*. Similia leguntur in actis S. Polycarpi, de quo s. Irenæus ait: *Non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ecclesis, qui Dominum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus. Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera*; hic, inquam, in oratione, quam ante martyrium fudit, haec habet: *Propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in futura saecula saeculorum, amen*. (1). In his profecto absque ambagibus absoluta confessio habetur et trium personarum distincta commemoratio in una divina essentia subsistentium. Quid ad haec unitarii et rationalistae cum suis metaphoris et platonismo?

4. Testes praeterea sunt fidei nostrae ipsi ecclesiae infensissimi hostes; haereticos in primis dico, qui tribus religionis christianae saeculis ab ecclesia expulsi sunt. Hos in duas classes disperit: in eos nempe, qui intereratam cum ecclesia catholica fidem de Trinitate servarunt, et in eos, qui eam adorti sunt. Jam vero in priorum censum veniunt nazaraei, quorum secta antiquissima est et apostolis coeva, nec non docetae et phantasiastae ac gnosticorum quamplures sectae. Ad alteram classem refero ebionitas, cerinthianos, Theodoto coriarius, carpoeritanos, gnosticos reliquos, Pauli Samosatani asseclas, sabellianos.

Jam vero primae classis haereticos recte sensisse de Trinitate ac divinitate Filii produnt omnes antiqui scriptores, qui eorum errores recensent. De nazaraeis, praeter Justinum, Hieronymum et Augustinum, qui testantur eos recte de divinitate Christi sensisse, et hoc nomine praesertim distingui ab ebionitis (2), testis est locupletissimus auctor Recognitionum et Homiliarum, quae sub nomine Clementis Romani proferuntur et quarum jam meminit Origenes (3). Hic igitur auctor, qui erat ex nazaraeis (4), his verbis docet unum et eundem cultum ss. Trinitati adhibendum esse: *Ad te enim pertinet aeterna gloria, laus Patri et Filio et*

(1) *Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων αὐτῶν, αὐτὸ εὐλόγησθαι, αὐτὸ δοξάζεσθαι, διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιεπισκοπῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ σου παιδὸς; δι' οὗ σοὶ σὺν αὐτῶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα, καὶ ὕμνος, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, ἀμήν.* Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. vi, cap. 15. Cfr. Maran. op. cit. lib. n, cap. 4; et Ruinart. *Acta martyrum sinceræ*, pag. 45 edit. Amsteld. 1715.

(2) Cfr. *Dissertatio vii Damascenica* doctissimi P. Le Quien, qui copiosissime praeter ceteris egit de nazaraeis, ubi in antecessum confutatus est Moshemius, qui in *Institutionibus historiae christianae antiquioris*, Helmsstadii 1757, non nisi ante saeculum iv eos extitisse autumat.

(3) Tom. iii, in *Genes. Philocalia* cap. 22, et in *Matth.* xxvi, 6, quod quidem eorum antiquitatem demonstrat. Scripti censentur hi libri saeculo ii exeunte, ac post annum 170.

(4) Cfr. Maran. lib. n, cap. vii, § 4.

PERRONE I.

Spiritu Sancto in omnia saecula, Amen (1); item baptismum conferri *ter beata invocatione*, nempe trium divinarum personarum, ut liquet ex verbis nuper citatis; tum ex iis, quae alibi idem auctor scribit: *Ad ultimum autem, inquit Petrus, admonui eos, ut, priusquam progredieremur ad gentes praedicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo, suscipientes Filium ejus. Aliter enim nullo modo eos ostendi posse salvari, nisi per Spiritus Sancti gratiam trinæ invocationis dilui baptismate properarent* (2). Docetas autem et phantasiastas ac alias gnosticorum sectas solum detraxisse Christo humanam naturam, quod hanc Deo indignam putarent, testes sunt Irenæus (3), Clemens Alex. (4), Tertullianus (5), Origenes (6), Pamphilus in apologia ipsius Origenis (7), Novatianus (8), ut ceteros recentiores praetermittam; ergo haeretici isti omnes praeter Patrem aliam agnoscebant in Deo personam. Sed eos praeterea Trinitatem agnovisse et admisisse nobis concedunt ipsi unitarii, qui viderunt hos haereticos sibi non favere, et qui principes esse volunt nescio cujus Trinitatis allegorice fingendae (9). Cum autem, ut alibi a nobis observatum est (10), haeretici illa, in quibus nobiscum consentiunt, non nisi ab ecclesia, a qua vel discesserunt vel expulsi sunt, mutuati fuerint, totidem testes sunt fidei, quae obtu-

(1) Hom. iii, cap. 72. *Σοὺ γὰρ ἐστὶ δόξα αἰώνιος, ὕμνος πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.* Apud Cotelierum, loc. cit.

(2) Ibid. cum dissertatione cit. Guillelmi Beveregii *De trina immersione*.

(3) *Adv. haeres.* lib. iii, capp. 17 et 18, edit. Masetti.

(4) *Pædag.* lib. ii, cap. 8.

(5) In lib. *Cont. Marcionem*.

(6) In *Joan.* pag. 165, tom. iv, edit. Delarue, Paris. 1759.

(7) In *Bibl. Patrum Gallandi*, tom. iv, pag. 23 et seqq.

(8) *Libro De Trin.* cap. 18.

(9) Cfr. Maran. lib. ii, cap. 8. Etenim auctor *Irenici irenicorum* Simonis nugae Justino fucum fecisse declarat. Sic auctor *Platonismi relecti* fatetur gnosticis Verbum praexistens placuisse (pag. 25), alibi vero (nempe p. 74) cerinthianis hunc platonismum adscribit, postea vero (p. 379) cum adscribit Marco, aiens: «Valentinianus Marcus, ut discimus ex lib. i Irenæi, cap. 12, auctor est allegoricae de Jesu Christi conceptione interpretationis, id est, primus eam ad sensum contemplationis et mysterii extolli.» Si quidem isti nesciunt, ubi pedem ligant atque consistant. Ceterum haereticos istos omnes, non secus ac valentinianos, ipsosque manichaeos, ostendit Maran. loc. cit. recte de divinitate Verbi sensisse, ac solum circa humanitatem Christi errasse. His si addatur, Praxeam ejusque asseclas accusasse catholicos tritheismi, eo quod ipsi tres personas distinctas colerent, teste Tertulliano *Contra ipsum Praxeam*, cap. 5, scribente: «Duos et tres jam jactitant a nobis (catholicis) praedicari, se vero unius Dei cultores praesumunt; quasi non et unitas, etc.» habetur ineluctabile testimonium receptae apud catholicos fidei de unitate naturae divinae et trinitate personarum; ut enim ibidem explicat Tertullianus cap. 2: «Tres sunt unius substantiae et unius status et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo (tres) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur.»

(10) *Tract. De vera relig.* part. ii, proposit. 5, n. 96, tom. i, p. 248.

(Dix-sept.)

nebat in ecclesia ea etate, in qua ab ea divisi sunt. Divisi porro sunt plerique ex recensitis haereticis ab ecclesia catholica vel sub ipsis apostolis vel paulo post; ergo.

Nunc facile est idem concludere ex illis haereticis, qui apostolicam fidem de Trinitate labefactare ac corrumpere nisi sunt. Ex his tria habemus: 1. quod eam adorti fidem fuerint, quae in ecclesia obtinebat; alias eam minime impugnassent, neque ut haeretici et novatores fuissent ab eadem expulsi; 2. quod adeo firma esset et universalis antiqua illa fides, ut nullos ferme sectatores nacti fuerint harum haeresionum architecti, et vix natae defecerint, vel in tenebris delituerint (1); 3. quod eorum impugnatores ipsis opposuerint perpetuam contrariam traditionem et consensum omnium ecclesiarum, ita ut, ne detegerentur ipsorum errores, ipsi non nisi clanculum et inter verborum ambages eos proponerent (2). Sectae igitur omnes antiquae, sive illae, quae intactam ss. Trinitatis fidem retinuerunt, sive illae, quae contra ipsam insurrexerunt, totidem testes sunt fidei, quam a Christo et ab apostolis ecclesia catholica incolumem servavit usque ad Nicænam synodum, quaeque a Nicæna synodo ad nos usque pervenit de tribus divinis ac distinctis personis in eadem essentiae unitate.

5. Sed testes praeterea sunt ipsi judaei et pagani. Etenim semper in eo controversiae cardo fuit inter Christianos et inter judaeos et paganos, quod judaeis fuerit scandalum praedicatio Dei crucifixi, gentibus autem stultitia, ut patet ex epistola, quam adversus judaeos scripsit Barnabas, seu saltem antiquissimus

(1) Soli enim ebionae ab initio ex haereticis divinitatem Christi negarunt, pauci omnino, quique numerari poterant, et sic permansissent, nisi identidem eandem impietatem instaurassent Paulus Samosatenus alique obscuri haeretici, qui vix noti essent, nisi Arius, ut videbimus, cum asseclis suis totum iterum turbasset christianum orbem. Certe cum Paulus Samosatenus novitates suas obruderet, patres concilii Antiocheni, ut testatur Eusebius, Hist. eccles. lib. vi, cap. 50, scripserunt ad omnes provincias, et antequam damnaretur, sex episcopi conati sunt litteris missis cum ab errore revocare. In hac epistola sic de omnium ecclesiarum consensu gloriantur: Omnes Ecclesiae Catholicae nobiscum consentiunt. Et haec quidem saeculo m.

(2) Exploratum est haereticos et novatores omnes quovis tempore, etsi novitatem in doctrina inducere tentarent vel tentent, affectasse tamen atque affectare similitudinem sermonis, qui obtinet in ecclesia catholica, ne, si aperte traderent novitates suas, statim, in ipso exordio catholicorum impetu opprimerentur. Hoc vero factum praecise etiam novimus ab haereticis antiquis, doctrinam de divinitate Christi vel Spiritus Sancti labefactare tentantibus. Errores enim suos quasdam veluti integumentis obvolvebant, tum ut episcopos et presbyteros laterent, tum ut imperitis venenum suum callide propinarent: Et propter hoc, inquit presbyter apostolorum discipulus, apud Irenaeum, lib. iv, cap. 52, hi, qui alienas doctrinas inferunt, abscondunt a nobis, quam habent de Deo sententiam, ne victi salvari periclitentur. Quam obrem recte concludit Maran, lib. ii, cap. 5, §. 4: Testes sunt ipsi haeretici doctrinam apostolicam, quam ab eis nefarie violata fuerat, omnibus catholicis, sive doctis sive indoctis, ratam et exploratam esse.

auctor sub ejus nomine; ex dialogo s. Justinii cum Tryphone, qui hoc perpetuo objicit; ex difficultatibus, quas promovet in persona judaei Celsus apud Origenem lib. II, contra ipsum. Quod spectat ad ethnicos, patet ex disputationibus Arnobii, Cypriani, Tertulliani, Lactantii, etc. adversus eosdem; ex irrisionibus et exprobrationibus praesidium, dum martyres ab hac insania, ut ipsi vocabant, retrahere adniterentur. Sed praeclarissimum documentum communis hujus fidei inter christianos illud est, quod exhibet Lucianus, seu quivis alius est auctor dialogi, qui Philopatris inscribitur (1); hic enim christianorum mysteria et catechumenorum instituendorum rationem satis apte describit. In hoc porro inducitur Critias jurans per varios ethnicorum deos, quos respiciens Trypho, vult ut Critias juret per Deum alte regnantem, magnum, immortalem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus et ex uno tria (2). Haec tu Joannem puta, hunc existima Deum (3). Quibus verbis apertissime continetur Christianorum fides de tribus personis distinctis, in eadem divina essentia subsistentibus, et per quam ab ethnicis ipsi discrepabant.

6. Testes sunt, patres singillatim sumpti. Cum vero contendat unitarii Justinum martyrem, utpote Platonis institutis enutritum, omnium primum hanc personarum Trinitatem in ecclesiam intulisse ac omnes infecisse (4), ut ostendamus eos impudentissime esse mentitos, patres et scriptores in medium afferemus Justinio anteriores. Anterior itaque Justinio est auctor epistolae S. Barnabae inscriptae; hic porro Christum vocat Dominum orbis terrarum, cui dicit Deus ante constitutionem mundi: Faciamus hominem, etc. (5); et rursus affirmat: Deum non venisse vocare secundum personam, sed super quos Spiritum praeparaverat (6);

(1) De auctore hujus dialogi magna est inter eruditos controversia. Sunt enim qui eum Luciano anteriorem faciunt; alii eum protrahunt usque ad etatem Juliani imperatoris, futilibus, ut nobis videtur, conjecturis ducti, sicut Gesnerus in dissertatione mox citanda. Alii volunt auctorem hujus dialogi esse ipsum Lucianum. Cfr. Dissertatio Matthiae Gesneri, de aetate et auctore dialogi Lucianae, qui Philopatris inscribitur, ad calcem vol. ix, opp. Luciani, edit. Joan. Theoph. Lehmann, Lipsiae 1851.

(2) Ethnico homini haec permittenda et irrisori christianorum. Ceterum catholici non dicunt tria, sed tres.

(3) Ἰψὴ μὲν δὸντα θεῶν, μέγαν, ἀμύροτον, οὐρανίανον, Ἰδὸν πατρός, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, Ἐν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τριῶν, Ταῦτα νόμιζε Ζήνων, τὸν δὲ ἠγόω θεῶν.

n. 12, pag. 252 cit. edit. Alia testimonia judaeorum et ethnicorum vid. apud Maran. lib. n, cap. 2.

(4) Ita quidem auctor Platonismi relecti; Steph. Curcellæus in Quatern. diss.; Clericus, op. cit., aliique passim socijani, quibus assentiuntur rationalistae, ut Wegscheider, §. 88.

(5) Capite 5. Cfr. de hoc testimonio Georgii Bulli Defensio fidei Nicænae, sect. i, cap. 2, §. 2, vol. infol. Lond. 1705, cum annotatis Joan. Ernesti Grabe, ubi plura alia ex eadem epistola in rem nostram testimonia proferuntur.

(6) Capite xix. Sic in graeco textu haec verba sonant: Ὅτι ζήθεν οὐκ ἐπὶ πρόσωπον καλῆσαι, ἀλλ' οὐς τὸ πνεῦμα ἠποίματε. In nonnullis enim hujus epistolae par-

en igitur tres personas: Patrem, qui dixit Filio faciamus, et Filium, vocantem eos, super quos Spiritum Sanctum praeparaverat, et quidem consubstantiales, cum Filium Dominum seu Deum vocet subsistentem in sinu Patris, et Spiritum Sanctum, praeparatum seu missum a Filio. Anterior Justinio est Hermas, qui dicit: Filium Dei omni creatura antiquiorem esse, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam; et paulo infra meminit Spiritus Sancti, subdens: Qui crediderunt Deo per Filium ejus, induiti sunt Spiritum hunc (1). Anteivit Justinum s. Clemens Romanus, qui Vivit, inquit, Deus et Dominus J. C. et Spiritus Sanctus (2); tum: Beatus vir, qui cognoscit Patris domum per processionem sanctissimi Spiritus (3); qui rursus in epistola I. ad Corinthios, cap. II, meminit passionis Dei et effusionis Spiritus Sancti. Praecessit s. Justinum s. Polycarpus, cujus luculentissimum testimonium de ss. Trinitate superius posuimus; praecessit s. Ignatius Martyr, qui in epistola ad Magnesianos scribit: Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum... in Filio et Patre et Spiritu Sancto (4); et rursus: Subjici estote episcopo et vobis multo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui (5). Anteriora sunt s. Justinio acta martyrii ipsius s. Ignatii, quae clauduntur haec ratione: Cursum perfecit Ignatius in Christo Jesu D. N., per quem et cum quo Patri gloria et potentia cum Sancto Spiritu in saecula. Amen (6). Quibus profecto non poterat clarius dogma adstrui ss. Trinitatis.

Hic accedit auctor carminum sibyllinorum, quae citantur a s. Justinio. Porro vetustissimus ille scriptor lib. VII haec scribit:

Potens genitus est Verbum Patri, et Spiritui Sancto Carnem indutus; cito evolavit in Patris domos (7).

Demum, ceteris omissis, impudentiam unitariorum frangit ipse s. Justinus, qui narrat se a sene presbytero, cui acceptam refert conversionem suam, didicisse Spiritum Sanctum regiam mentem esse, qua anima

tibus originalis textus desideratur, nec superest nisi versio.

(1) Lib. III, simil. IX, cap. XII et XIII, in Biblioth. Patrum. min. Gallandi tom. I.

(2) Ζῆ ὁ θεὸς, καὶ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. s. Basil. lib. De Spiritu Sancto, cap. 29, n. 72, pag. 64, tom. III, opp. edit. Maurin.

(3) Μακάριος ἄνθρωπος ὁ γινώσκων τὴν τοῦ πατρὸς οἴκον δι' ἐκπορεύσεως τοῦ παναγίου πνεύματος. Inter fragmenta in Biblioth. Patrum Galland. pag. 44, tom. I.

(4) Cap. XIII. Σπουδάζετε οὖν βελτιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασι τοῦ κυρίου, καὶ τῶν ἀποστόλων... ἐν υἱῷ καὶ πατρὶ καὶ ἐν πνεύματι.

(5) Ibid. Ἰπστάργετε τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ ἀλλήλοις, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ κατὰ σάρκα, καὶ οἱ ἀπόστολοι τῷ Χριστῷ καὶ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πνεύματι.

(6) Cap. VII. Τελευτάσαντε θρόνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι' οὗ καὶ μετ' οὗ τῷ πατρὶ ἡ δεξιά καὶ τὸ κράτος σου τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς αἰῶνας. Ἀμήν.

(7) Ἀδελφοί, γίνετο λόγος πατρὸς (vel ut corrigat Maran γεννάτο λόγος πατρὶ) πνεύματι ὁ ἅγιος Σάμα τε δυναμικός ταχὺς ἔπειτα πατρὸς ἐξ οὐρανοῦ. Plura alia ibidem videantur testimonia, quae in eadem doctrinam conspirant, lib. II, cap. I, §. 5.

humana non exornata Deum videre non potest, tum Christum verum et aeternum esse Dei Filium a prophetis denunciatum una cum Patre invocandum (1).

7. Demum testes hujus veritatis, vel inviti, sunt ipsi unitarii ac rationalistae sui ipsa agendi ratione; nam in primis nobis dant a Nicænae synodi aetate universam ecclesiam pervasisse doctrinam de ss. Trinitate; cum autem perspicua a catholicis adducta essent documenta fidei nostrae synodo Nicæna anteriora, confugerunt ad Justinum Martyrem, eumque primum hujus dogmatis auctorem ex praconcepto platonismo affirmarunt; cum tamen adhuc luculenta sint documenta Justinio antiquiora, recurrerunt ad nescio quam Trinitatem ab ebionitis allegorice excogitatum; sed neque hic consistere potuerunt, opponentibus catholicis documenta virorum apostolicorum, qui maxime ebionitas exagitarunt; tandem deposita larva tradere non erubuerunt apostolum Joannem aliosque scriptores sacros ex Platone vel saltem ex hebraica cabalistica doctrina didicisse dogma istud, ac praconceptas opiniones suas Christi effatis affixisse (2). Ergo nobis dant ab apostolis usque ad Justinum Martyrem, a Justinio usque ad Nicænam synodum, a Nicæna synodo usque ad nos profluxisse

(1) Vid. Dial. cum Tryph. a num. IV ad VII.

(2) Ne haec exaggerata atque amplificata videantur, proferam nonnulla testimonia, ex quibus perversa istorum rationalistarum sentiendi ratio omnibus patet. Sic igitur scribit Wegscheider, § 83: Joannes quidem, postquam alexandrinorum Judaeorum quibusdam philosophematibus, quorum vestigia in ipso Veteri Testamento atque apocryphis exstant, imbutus erat, magistri summe admirandi virtutem ex oculis sublatam sublimioribus phantasie imaginibus sic exornavit, etc. Huic praeieverat Gottlob Paulus, Comment. IV, pag. 8 et seqq.; Eichhorn, Einleitung in das N. T., seu Introductio in libros N. T. tom. II, p. 158 et seqq.; Berthold, I, Christologia Judaeorum p. 104 et seqq. et Kuinoel in Comment. in lib. N. T. hist. tom. III, pag. 65 et seqq., quibus ideae λόγος a Philone et a Joanne adumbratae, si non plane easdem, simillimas tamen, substratas fuisse notiones, ex eodemque Veteri Testamento et librorum apocryphorum fonte profectas, plurimis jam probatum est. Rursus Wegscheider, § 85: Luce clarior patet, scriptores sacros sancta quadam magistri reverentia commotos esse, ut, ad summam ejus virtutem atque excellentiam commendandam, ex Judaeorum et alexandrinorum et palestiniensium de virtutibus, seu viribus quibusdam divinis, sub personarum specie cogitatis..., in Jesum transferrent, quaeque pro suo quisque ingenii scientiae et phantasie modulo aptissima duxisset, etc. Sic Baumgarten Crusius, Bibl. theol. pag. 382, inquit: « Diversitas notionis seu ideae (quae nempe in Apostolis reperitur), dum tamen eadem in ipsis vigerit persuasio excellentiae Christi, jam ostendit, Apostolos nec intendisse, nec potestate fuisse donatos hac in re dogma aliquod proponendi. » Dum haec leguntur in profanis istis hominibus, statim mentem subeunt, quae s. Irenaeus, Cont. haeres. lib. III, cap. 12, n. 12, de antiquis haereticis scribit, quaeque apprimè quadrant in haereticos nostri temporis, siquidem idem spiritus jnnium haereticorum est, ac praesertim in eos, quos recensimus, rationalistas: « Putaverunt, inquit s. Doctor, semetipsos plus invenisse, quam Apostoli... et Apostolos quidem adhuc quae sunt Judaeorum sententias annuntiasse evangelium, se autem sinceriores et prudentiores Apostolis esse. »

doctrinam de una divina essentia ac Trinitate personarum. Nunc restat inquirendum, an socinianorum ac rationalistarum commentis majorem fidem adhibere debeamus quam universæ ecclesiæ, quam totæ antiquitati sacræ et profanæ, juxta dicta, quam ipsis apostolis et evangelistis. Ferant ipsi sententiam.

DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Patribus apostolicis, qui quidem sicut plerique prioris ævi christiani Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum profitebantur, dogma illud de Trinitate plane ignotum fuit. 2. Sed jam inde ab ipsis christianismi primordiis alii Jesum pro homine tantummodo habuere, quorum in numero sunt ebionitæ, eosque secuti Theodotus Byzantius et Artemon; alii docetismum præ se ferentes (cfr. Joan. IV, 2; II Joan. 7), uti gnostici, qui ad cabalistarum de emanatione quadam virum divinarum sententias accessissent, æonem, scilicet vim quandam, quæ a divina natura promanasset, cum Jesu conjunctam fuisse statuere (1). Ergo.

Resp. ad 1. D. Ignota erat terminologia hujus dogmatis, Tr. dogma ipsum N. Voces naturæ, personæ, Trinitatis, etc. serius fertasse inductæ sunt, quod non abnuimus; neque adhibita ab ecclesia, neque in usum adscita a patribus, nisi cogentibus hæreticis, qui confusione verborum summopere delectantur ad facilius suas novitates ac impietates propinandas; ast ex hoc inferre non licet incognitum fuisse dogma ipsum, cum, ut adversarius fateatur, patres apostolici ac plerique prioris ævi christiani professi fuerint Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quos certo ut Deum habuerunt, distinxerunt tamen Filium a Patre, et Spiritum Sanctum ab utroque, non multiplicando divinitatem, in hoc vero præcise dogma consistit. Ex ignoracione autem terminorum seu vocum, concludere ignoracionem rei, perinde esset ac concludere quempiam ignorare existentiam Petri ex. gr. ac Pauli, ex eo quod eorum nomina ignoret. En dialecticam rationalistarum, qui apicem sapientiæ attigerunt, præ quibus ceteri omnes plebs ac populus sunt (2).

Ad 2. D. Et ideo quia recederent a recepta ecclesiæ fide damnati sunt et ab ecclesia expulsi, C. quasi dubia esset vera ecclesiæ fides N. Eadem

(1) Ita Wegscheider, § 88.

(2) Apposite s. August. *De Trin.* lib. vii, cap. 4, n. 7: «Loquendi causa, inquit, de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris græcis una essentia, tres substantiæ; a latinis autem una essentia vel substantia, tres personæ... et dum intelligatur, saltem in enigmate, quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quaereretur, quid tria sint, quæ tria esse fides vera pronunciat, cum et Patrem non dicit esse Filium et Spiritum Sanctum, quod est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium» et num. 9: «Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate paria hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores hæreticorum? Quod quidem ibidem et cap. 6, n. 11, pluribus exemplis confirmat.

nempe ratione peccat adversarii nostri ratiocinium qua peccaret argumentatio illius, qui inferret incertum in ecclesia esse, utrum adulteria aliaque infanda facinora honesta sint nec ne, ex eo, quod aliqui methodistæ et fanatici negaverint ea esse inhonesta. Adde præterea memoratos hæreticos non errasse directe contra Trinitatis dogma, sed potius contra divinitatem Christi Jesu, eo quod negarent Filium Dei assumpsisse in unitate personæ humanitatem, et contenderent illum huic non fuisse conjunctum nisi in baptisate, vel quacumque alia ratione sua commenta exponerent. Id patet ex patribus, qui eos impugnaverunt (1), et ex iis quæ nos exposuimus in probationibus; neque adversarius diffidetur, ut ex allatis ejus verbis non obscure deprehenditur, etsi illorum theoriam non satis apte ac fideliter exponat (2).

II. Obj. 1. Sententia vindicans Filio et Spiritui Sancto hypostasin, qui tamen Patri subsessent, præcipientibus Justino Martyre et Theophilo Antiocheno, qui verbum, seu λόγον ἐνδοξάστον ἢ προφορικόν (immanens et prolaticum) distinguit, Irenæo, Clemente Alex., doctrinæ de emanatione Verbi et Spiritus Sancti auctore, prævaluit. 2. Hæc namque duæ sententiæ præcipue ævo ante-nicæno per ecclesiam maxime propagatæ cernuntur. Doctrina autem de Trinitate hypostaseon a Tertulliano potissimum amplificata atque exornata est, et ab Origene, qui notionem generationis æternæ proposuit, itemque a Dionysio, episcopo Romano, qui consubstantialitatem Filii, scilicet substantiam Filii eandem esse cum substantia Patris ejusque subsistentiam in Patre defendisse, proximeque ad sententiam formulæ orthodoxæ postea definitæ accessisse perhibentur (3). 3. Ceterum formulam hanc publice receptam neque scriptores sacri diserte tradiderunt, neque ecclesiæ doctores affixerunt ante sæculi III. exitum, 4. quo quidem tempore ad paganismi errores suscipiendos procliviorum fuisse ecclesiam constat (4). Ergo.

Resp. ad 1. Neg. Hoc est gratuitum mendacium. Nos contrarium ostendimus in probationibus, quas ab ætate apostolica deduximus usque ad ss. Justinum et Theophilum (5). Restat præterea explicandum ad-

(1) Cfr. Petav. *De Incarnatione*, lib. vii, capp. 2 et 3.

(2) Cfr. Maran. op. cit. lib. ii, a cap. 7 ad cap. 15, ubi fuse ostendit sectas omnes totidem testes esse receptæ in universa ecclesia catholica fidei de mysterio ss. Trinitatis.

(3) Wegscheider, loc. cit.

(4) Ibid. § 97.

(5) Placet, ad pleniorum rationalistarum confutationem, verba hic subjicere, quibus S. Irenæus testatur doctrinam Trinitatis ab universa ecclesia receptam sæculis ecclesiæ II et III ab apostolis: «Etenim ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum Filium Dei, nostræ salutis causa incarnatum, et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas Dei dispensa-

versariis, qui factum fuerit, ut nemo catholicorum restiterit Justino et Theophilo, restiterint autem Praxeæ, Noëto, Sabellio, Paulo Samosateno et Beryllo Bostrensi personas confundentibus. Nos facile id explicamus, quod nempe primi tradiderint doctrinam in ecclesia receptam, alii innovaverint.

Irenæus autem, Clemens Alex. ac Tertullianus ideo clarius et novis formulis expresserunt vetus dogma, quod impugnaverint novatores ejusdem dogmatis hostes, ut sit. Idem dicatur de Dionysio Romano, qui se opposuit Paulo Samosateno, eumque damnavit, prout jam damnatus fuerat a synodo Alexandrina, aliisque duabus synodis Antiochenis, adversus alias impietates ac novitates coactis (1).

Ad 2. Neg. doctrinam, seu sententiam patripassionum unquam per ecclesiam propagatam cerni. Vix exorta est ac vix innouit hæc hæresis, quum undique contra ipsam conclamatum est. Et en fraudem delicati nostri rationalistæ, qui in eodem censu collocat doctrinam catholicam et doctrinam illorum nebulonum, quasi eadem utriusque ratio fuerit.

Ad 3. D. Scriptores sacri formulam Trinitatis diserte non tradiderunt, neque ecclesiæ doctores affixerunt ante sæculi III. exitum quoad sonum materiallem, si sermo sit de scripturis sacris, C. si de ecclesiæ doctoribus Tr. (2); non tradiderunt rem

iones et adventus prædicavit... hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter, hæc prædicat et docet et tradit, quasi unum possideat os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hæc, quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæc, quæ in Hiberis, neque hæc, quæ in Celtis, neque hæc, quæ in Oriente, neque hæc, quæ in Ægypto, neque hæc, quæ in Lybia, neque hæc, quæ in medio mundi constitutæ (Hierosolymitana scilicet aliaque in Palestina constitutæ juxta veterem christianorum opinionem); sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Sic contra veteres hæreticos Irenæus, lib. i, cap. 10, p. 48, edit. cit.

(1) Vid. *Collect. concil. Labbei*, tom. i, col. 827, tum etiam col. 851 et 852.

(2) Transmissimus quod dicitur vocem Trinitatis non ante sæculum in usurpatam fuisse. Verum quidem est hanc vocem primum occurrere apud Theophilum Antiochenum sæculi III scriptorem; sed non inde inferri potest vel debet hanc vocem illum omnium primum induxisse, eo magis quod ipse eam non ut novam proferat, sed tanquam usu receptam ac tritam. Ex hoc ad summum deduci posset, primum documentum, in quo hæc vox occurrit, pertinere ad sæculum III. Dixi ad summum; nemo enim est qui nesciat hanc vocem occurrere in actis S. Andreae apostoli, conscriptis, ut fertur, a presbyteris Achaicæ sæc. I vel II. In his vero, cap. 2, legitur: «Pax vobis et omnibus, qui credunt in unum Deum perfectum in Trinitate, verum Patrem qui genuit, verum Filium unigenitum, verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et in Filio permanentem.» Haud ignoro ejusmodi acta passim rejici ab eruditissimis tanquam supposititia; verum et illud scio, ea ab aliis eruditissimis adhuc ut sin-

postea formula illa expressam N. Controversia autem non est de verbis, nec verba materialiter in se spectata sunt objectum fidei nostræ, sed res per verba expressa; dum igitur constat de re et sensu, quid refert si formula serius inducta fuerit?

Ad 4. Neg. suppositum. Ridiculum sane est dicere ecclesiam procliviorum fuisse ad paganismi errores suscipiendos ad finem sæculi III, quando innumeri ex ipsius filiis, ne se contaminarent paganismi erroribus, inter acerbissimos cruciatus sanguinem et vitam profundeabant (1). Ridiculum præterea est ex eo, quod nova formula introducta fuerit ad rem antiquam magis expresse enunciandam, concludere id factum esse ex proclivitate ad errores paganismi. Hoc est transire de genere in genus.

III. Obj. Plura suadent ab ecclesiæ primordiis incognita fuisse non solum formulam, sed et dogma ipsum Trinitatis. Nam I. Tertullianus, sæculo II. exeunte, de Dei Trinitate quamdam doctrinam plurimis novam et heterodoxam visam esse profiteretur (*Adversus Praxeam*, lib. I, cap. 3): *Simplex quique, scribit, ne dixerim imprudens et idiotæ, quæ major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis sæculi ad unicum et verum Deum transfert, ... expavescent ad æconomiam, numerum et dispositionem Trinitatis... itaque duos et tres jam jactitant a nobis prædicari; se vero unius Dei cultores præsumunt.* Hinc 2. factum est, ut alii Verbum ipsam Dei rationem dixerint, seu sapientiam in ipso existentem, prout Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, Tatianus in *Oratione contra Græcos*, et Theophilus Antioch. lib. II *Ad Autolyicum*; 3. nec nisi paulatim de Christi seu Verbi natura subtilius quæri coeptum est, rarius vero de Spiritu sancto, quem plurimi aut vim divinam aut hypostasin judicabant, a Filioque Dei non satis distinguebant, ut in primis Irenæus, *Simil. V, 4* et seqq.; Justinus Martyr. *Apolog. I, n. 56*; Theophilus, loc. cit. pag. 555; Lactantius, *Inst. divin. lib. IV, cap. 6, 9*, coll. Hieronymi epist. 49 et 65. Quod si Origenes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres singulares censet esse hypostases, monet tamen oportune Guericke (2) Origenem diversæ eas posuisse dignitatis, ejusdem vero naturæ divinæ. Hanc autem naturæ unitatem innuit tantum, in primis de Spiritu Sancto, obscurius. Quare veram prædicationem (πρόσωπον) Christo non deberi ipse Origenes fusius docet libro *De oratione* (3). Ergo.

cera defendi, nec solum a catholicis, sed et ab ipsis Protestantibus. Cfr. Galland. *Biblioth. Patrum*, tom. 4, proleg. cap. 4. Illud certum est, ea esse monumentum antiquissimum, pertingens saltem ad sæculum IV.

(1) Spectat huic quod Faustus Manichæus objiciebat catholicis, eos verissime idola gentium in martyres, quos votis similibus colerent. Sed de hac accusatione, ex qua luculenter patet antiquitas cultus Sanctorum in ecclesia catholica, nempe sæculo III, suo loco agemus.

(2) *De scholæ Alexandrinæ catechetica theologia*, Halle 1825, p. 211.

(3) Sic Wegsch. § 98, n. a.